



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

I. Quia est Maria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Beatam dicunt Virginem omnes  
generationes ob ejus multi-  
plicem excellentiam.

## I. QVIA EST MARIA.



Esse *S. Epiph. haeres: 78.* ex ipsis nominibus etiam vir-  
tutis signa elucent. Maria vero est Mare gratiarum, hono-  
rum, excellentiarum. De quo *S. Germ. Patr. orat. in Deipar.*  
Si palmo terram metiri possumus, si funiculo mare, si cubitis  
coelum, si copiam stellarum numerare possumus, si pluvia-  
rum guttas, si glebas telluris, si demum arenam comprehen-  
dere, comprehendetur forte & praesens nostrae orationis argu-  
mentum, MARIA. Accedit huic *B. Alanus lib. de Psalterio cap. 70.* Auscultet  
sancti tui nominis amator O Maria! coelum gaudet, omnis terra stupet cum dico:  
Ave Maria. Sathan fugit, infernus contremiscit, cum dico Ave Maria. Mundus  
vilescit, cum dico Ave Maria. Cor in amore liquefcit, terror evanescit, caro  
marcescit, cum dico Ave Maria. Crescit devotio, oritur compunctio, cum dico  
Ave Maria. Recreatur animus, & in bono confortatur aeger affectus cum dico  
Ave Maria. *Maria* interpretatur idem quod *Maris stella.* *S. Epiphani: haeres: 78.* Beata  
Maria non fortuito, aut solum placito, ut quidam putant, sed Divina dispensa-  
tione nomen accepit; ita ut ipsa quoque vocabuli sui figura magnum quiddam  
inveniret: interpretatur enim *stella maris*, ut aspectu ejus, dirigere cursum  
possint, & destinatum portum apprehendere: simili modo fratres oportet uni-  
versos Christicolae inter fluctus hujus saeculi confugere ad Mariam, quae superno  
rerum cardini, Deo proxima est, & ex aspectu exempli ejus cursum dirigere.

Aliam expositionem hujus nominis sancti affert *S. Hieron. lib. de nominibus  
Hebraeis.* Mariam plerique existimant interpretari: illuminant me isti, vel Illumi-  
natrix, vel Smyrna maris, sed melius est eam sonare *Stellam maris*, sive amarum  
Mare, sciendumque quod Maria sermone Syro Domina nuncupatur. Certè est  
mortis

mortis ipsius Domina. *Chrysol. serm. 64.* Martha mittitur ad Mariam (de exor-  
tando Lazaro) quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat ren-  
rari. Veniat Maria, veniat Materni nominis bajula, ut videat homo Christum  
Virginalis uteri habitasse secretum, quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui  
exeat de sepulchris. Ecce quomodo Illuminatrix & Domina mortuorum.  
Hinc collige quàm sit vitale nomen Maria, sine quo nec mortui ad vitam Chri-  
stus revocare voluit. Qui nomen Mariæ explicant variè intelligunt illud, quo-  
rum sensu colligit *Albertus M. in Luc. 1.* Mariæ nomen interpretatur Illuminatrix,  
Stella, amarum Mare, & Syrà linguâ Maria interpretatur Domina; Illuminatrix  
quidem, quia illuminat in dubijs, Stella poli, quia ducit in devijs, amarum Mare,  
quia compungit in illecebris, Domina autem quia protegit in adversis. *Et S. Ba-  
navent. in idem Luc. 1.* Ideo nominant Mariam, ut insinuent nomen ejus mystero  
plenum, secundum triplicem interpretationem, per quam triplicem statum in-  
telligimus salvandorum. Activos per Mare amarum; Contemplativos per Ste-  
llam, Prælatos per Dominium. *S. Epiph.* Mariam interpretari solemus Dominam,  
atque etiam Spem. *Rutilio Beuzono lib. 2. super Magnificat cap. 22. dub. 6.* idem signi-  
ficat Maria quod Dei Imitatrix. *S. Ambr. lib. de instit. Virg. cap. 5.* idem quod Deus  
ex genere meo. Tot interpretationum causam dat *Bernardin. tom. 3. tract. de Beata  
Virgine serm. 1.* Neque immeritò non unam tantum habet nominis interpretatio-  
nem, nullum enim puto unum nomen Virginis gloriam posse enuntiare, sicut  
ipsum Deum, ipsum non uno tantum nomine nuntiamus, sed multis, ut sic ejus  
incomprehensibilitatem enuntiemus. *Richard. à s. Laur. lib. 1. cap. 2.* Nominis pre-  
fert Virginitatem, ac si idem quod Virgo sonaret Maria. *Et adjicit.* O magnum  
ô pia! ô multum amabilis Virgo Maria! Tu nè nominari quidem potes, quia  
accendas, nec cogitari, quin recrees diligentium te animos. *Idiota cap. 7.* Tanta  
est virtus tui sanctissimi nominis ô semper benedicta Virgo Maria, quod mirabile-  
ter emollit, & penetrat duritiam cordis humani. Ideo scribitur: Lucerna De-  
mini, Spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta mentis, sic etiam dicere  
possumus, Lucerna Domine, id est Mariæ, quæ Doctrina & Magistra maris inter-  
pretatur, Spiraculum hominis, quia peccator per te respirat in spe veniæ, & gra-  
tiæ, quæ investigat, id est investigare facit, omnia secreta mentis, id est abscondita  
cordis. *Abbas Alsalon serm. 31.* Maria idem est ac Stella peccatoris. *Albertus M.*  
cùm dat causam quare Gabriel non salutet Virginem nomine proprio *Luc. 1.*  
respondet. Omittit Angelus interponere nomen Mariæ, quia in aliud tempus no-  
minandum servavit, postquam gratiæ ejus fuerint explanatæ, sine quibus tota  
plenæ

plenæ significationis nomen non intelligeretur. Item quare *Lucas cap. 7.* dum adhuc esset peccatrix Magdalena, non vocat Mariam, sed mulierem. *Richard. lib. 1. cap. 2.* Nomini Mariæ sanctitas inseparabiliter est adjuncta, quòd cum agit *B. Lucas cap. 7.* de poenitentia Magdalenæ, propter hujus nominis reverentiam non fuit ausus Mariam, sed mulierem nominare.

Undè verò ortum traxit hoc nomen, docet *Petrus Damian. serm. de Annunt. De Divinitatis thesauro Mariæ nomen evolvitur.* Et quidem ut *Germ. orat. in byss.* Hoc nomen Divinis benedictionibus, & gratijs omni ex parte refertum. *Richard. lib. 1. cap. 2.* Efficaciã istius nominis Salomon videtur innuere dicens *Ecccl. 7. Melius est nomen bonum, quam pretiosa unguenta.* Mariæ siquidem nomen dolori peccatorum melius medetur, quàm unguenta. Peccator es? ad nomen Mariæ confugas, ipsum solum sufficit ad medendum, nulla enim pestis tam efficax, nulla sic heret, quæ ad nomen Mariæ non cedat continuo. *Bonav. in Psalt. Gloriosum, & admirabile nomen est tuum, qui illud retinent, non expavescunt in puncto mortis.* *Richard. lib. 1. cap. 2.* Tristatur aliquis continuo ad nomen Mariæ cedit nubilum, serenum redit. *Idem ibid.* Rectè nomen Mariæ oleo comparatur, (*à salomone cantic. 1.*) quia super omnia Sanctorum nomina post nomen Filij reficit lassos, sanat languidos, penetrat duros, recreat flos, ungit agonistas, putrefacit jugum diaboli, supernat omni nomini, sicut oleum omni liquori. *Idem cap. 5.* Tantæ virtutis & excellentiæ est tuum sanctissimum nomen Beatissima Virgo, quod ad invocationem ejus coelum ridet, terra lætatur, Angeli congauudent, demones contremiscunt, & infernus conturbatur. *S. Ephrem de laud. Virg.* Nomen Mariæ portarum paradisi Reseramentum.

*Richard. à S. Laur. lib. 2. cap. 2.* Devota invocatio & recordatio nominis hujus, ducit ad virorem gratiæ in præsentem & ad virorem cœlestium in futuro. *Chrysolog. hom. 146.* Nomen hoc Prophetiæ germanum est, hoc renascentibus Salutare, hoc Virginitatis Insigne, hoc pudicitia Decus, hoc Indicium castitatis, hoc Dei Sacrificium, hoc hospitalitatis Virtus, hoc Collegium Sanctitatis. *Accedat supra allegato Richardo devotus Alanus super 1. Cant.* Eleganter fama & gloria nominis ejus oleo effuso comparatur, oleum resurgentem reficit, ægrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit: sic & in laude Virginis reficimur &c. Jam verò si nomina cætera Spiritûs S. instinctu imposta rei consonabant, hinc *Eva* dicta quod significat Matrem viventium, *Abel* quòd idem ac hominem possedi per Deum, *Seth* idem est, ac posuit mihi Deus semen aliud pro Abel occiso à fratre, *Noë*: quia iste nos consolabitur ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus, *Isaac* quia vetulæ matri

obtrigit, sic dictus: quod sonat: Rifum mihi facit Dominus. *Moyses* filium vocavit Gerlon, quia advena fuit in terra aliena. *Joseph* Manassen, quia oblivisci eum fecit Dominus omnium laborum suorum. *Ephraim* dedit idem *Joseph* nomen alteri, quia crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae. *Samuel* &c. à Deo impetratus. Beatissima nostra ut *Ambros. serm. de Nativ. Virginis.* & *Bernard. super Missus,* & *Anselmus lib. de Concept. Virg. cap. 2.* ajunt: Nomen hoc à SS. Trinitate de cœlo delapsum, & per *Gabrielem* Angelum parentibus prænuntiatum acceptum. Quomodo non ea verè dicit quæ significat? significat verò præter supra adducta ut *Epiphanius* docet: Spem. Ut *Episcopus Rutilius lib. 2. super Magnif. c. 22.* dicit idem quod Imitatrix Dei, vel Deus de conceptu sive de partu meo, vel de morte vel de altitudine Dei. Sed neque prætereamus ordinem quo Deus venerit ad hoc nomen, & hoc per interpretationem primi capituli Matthæi assequemur. *Abraham* idem est ac Pater multarum gentium. *Isaac*, Gaudium, *Jacob* Supplantator, *Judas* Confessio, *Phares*, Divisio, *Zara*, Oriens, *Esron*, Sagittam videns, *Thamar*, Palma, *Aram*, Electus, *Aminadab*, Populus spontaneus, *Nafon*, Augur fortis, *salmon* Terribilis, *Booz*, in ipso Fortitudo, *Rabab*, Lata, *Obed*, Serviens, *Ruth*, Festinans, *Jeshu* Incendium, *David*, Manu fortis, vel Desiderabilis, *Salomon*, Pacificus, *urias*, Lati-  
mea Deus, *Bersabee* Filia juramenti, *Roboam*, Latitudo populi, *Abia*, Pater Domini, *Asa*, Tollens, *Josaphat*, Dominus judicavit, *Joram*, Excelsus, *Oxias*, Robustus Domini, *Jonathan*, Perfectus, *Arhaz*, Apprehendens, *Ezechias*, Fortitudo Domini, *Salathiel*, Petitio mea Deus, *Zorobabel*, iste Magister, *Abiud*, Pater meus iste, *Eliaim*, Dei resurrectio, *Azor*, Adjutus, *Sadoch*, Justus, *Achim*, Frater meus, *Eliud*, Deus meus, *Eleazar*, Deus adjutor, *Mathan*, Donum, *Jacob*, Supplantator, *Joseph*, Appetitus sive auctus. In his nominibus juxta suam seriem videtur caula & mysterium Incarnationis insinuari, & eo delineato ad nomen Virginis progressus fieri. Pater multarum gentium Adam fuit, qui gaudio pomi dati à supplantatore lapsus, confessionem à se divisi, ipse oriens statim post creationem suam, & factus est videns sagittam mortis seu Euphratem fluvium, qui significat sagittam, ad viciniam ejus è per-  
radilo ejectus, & crevit arumnis pressus, ut palma, & est electus, & natus est ex illo Cain populus spontaneus, seu suæ voluntatis & augur fortis, ex quo orti augures & idololatæ qui auxerunt peccata facti alijs terribiles, & ob artem bellandi in ipso erat fortitudo, & fuit via eorum lata: Cain verò ipse festinans sine devotione obtulerat sacrificium, & non ritè fecit illius incendium in manu forti Abelem pacificum occidit, cujus lux erat Deus: nihilominus Deus juravit daturum se Melsiam toti latitudini populi, & factus est hominum Pater Dominus, tollens Filium suum, & pater

caritatis mori eum qui erat *excelsus & robustus Domini atque perfectus*. Hic apprehendit  
 crucem, & mortuus est cum esset *Fortitudo Domini, & petivit Deum, & factus est*  
 hominum *iste Magister, & Pater meus ipse tum resurrexit ad ius à Deo, apud quem*  
 inventus in persolvendo pro peccatis nostris *justus, & Frater hominū, & Deus meus,*  
 & *Deus adjutor,* qui dedit *dona* hominibus, & *deemonis factus Supplantator, & auctus*  
 est, *populos quos dedit illi Pater, & cum illis appositus est Patri ut inter eos primo-*  
*genitus.* Ita facta utrunque mysterij hujus descriptione mystica, venit ad  
 nomen *Marie,* in qua tandem hoc mysterium complendum erat, cum eā natus  
 esset *Jesus qui vocatur Christus, seu Mefsias.* *S. Antoninus 4. p. c. 6. tit. 16. ex nomi-*  
*nibus genealogiæ B. Virginis triplicem colligit fluvium gratiarum Virginis, cujus*  
 verba sub compendio referimus. Primo ponuntur conditiones gratiosæ Paren-  
 tum *Virginis, ex interpretatione nominum in Patriarchis ab Abraham usque ad*  
*David. 1. est Abraham & hic notatur rectitudo fidei, & interpretatur Pater multa-*  
*rum Gentium, per justitiam fidei. 2. Isaac, in quo significatur irreprehensibilitas:*  
 nam nomen ejus explicatur *Risus, magnum enim gaudium exsurgit in mente, ex*  
 quo quis irreprehensibiliter vivit. 3. *Jacob, qui dicitur Supplantator, & in eo no-*  
 tatur *observantia mandatorum Dei, opus enim supplantare & vincere sensualita-*  
 tatem ad observanda Dei mandata. 4. est *Confessio id est Juda: confiteri enim*  
 oportet *peccata sua, & Divinas laudes, sic Joachim & Anna fecerunt. 5. est Di-*  
 stributio, id est *Phares, ut dividat bona sua pauperibus. 6. est Votum: nam Ebron*  
 interpretatur *Sagitta, quia ut sagitta velociter ascendit ad Deum quasi feriendum,*  
 ad amorem dandi quid sub voto petendi, vel gratiam concedendi ob voti oblatio-  
 nem. 7. est *opprobriorum tolerantia, Aaram enim id est quod Excelsus, oppro-*  
 bria enim tolerata faciunt hominem *excelsum coram Deo. 8. libenter ad versa*  
 sustinere, id est *Aminadab, interpretatur Voluntarium. 9. consolationē in affli-*  
 ctione, siquidem *Naason idem est quod Augurium, id est promissio bono-*  
 rum. 10. quasi quædam *certificatio Divinæ promissionis, nam certificat nos*  
 Deus de suis promissis, quando ad versa patienter sustinemus: nam *Salmon in-*  
 terpretatur *Habitaculum, quia Deus inhabitat tales. 11. Booz, quod est Fortis,*  
 fuit enim amor mutuus *Anna & Joachim. 12. Reverentia erga superiores, Obed,*  
 interpretatur *Servitus. 13. Gratiarum actio: nam Jesse idem est, ac Incensum,*  
 est enim oratio & gratiarum actio quoddam *incensum coram Deo: ita fecerunt*  
 Parentes *Beatæ Virginis.*

In secunda parte notantur quindecim perfectiones gratiæ, quæ fuerant in  
 ipsa *Virgine. 1. sanctificatio, quæ notatur per David, Pulcher Domini. 2. Nativitas*  
Ff 2
hanc

hanc notat Salomon qui interpretatur, Pacificans merces, quia B. Virginis Nati-  
 vitas lætificavit Angelos dolentes de perditione hominum. 3. Præsentatio, quia  
 præsentatur non clauda turpis; indignum enim est dare Deo quod dedignatur  
 homo ait B. Hieron. Hoc signatur in Roboam, qui interpretatur Latitudo popu-  
 li, quia Virgo in templo fuit dilatata in virtutum populo. 4. Sancta conver-  
 satio, & significatur in Abia, qui interpretatur ipse Dominus. 5. Visitatio fre-  
 quens Angelorum, quod innuitur in Ala, quod interpretatur Attollens se, scilicet  
 in Deum: nam Virgo dum oraret in templo, visitabatur ab Angelis. 6. Cura  
 salutis aliorum, nam alias in templo existens, ad bonum ducebat, & sic in ea regna-  
 bat Josaphat, quod interpretatur Judicans; quia ipsa judicans ac discernens a ne-  
 mine potuit reprehendi. 7. Propositum Virginitatis, & sic fuit Joram spirituali-  
 ter, qui interpretatur Excelsus, quia Virginitas facit homines similes Angelis.  
 8. Firmitas in bono proposito, quod notatur in Ozia, qui interpretatur Robustus.  
 9. Continuus profectus in virtutibus, & hoc est Joathan, qui interpretatur Per-  
 fectus. 10. Inquisitio circa dubia, ex qua declaratur quid sit agendum, nè incaute  
 agendo exponat se periculis; hic est Achaz, qui interpretatur Comprehendens,  
 quia ex inquisitione comprehenditur veritas rei. 11. Divinum oraculum seu In-  
 spiratio, nam cum res nobis nequeunt declarare homines, recurendum est nobis  
 ad Deum, quod innuitur in Ezechia, qui interpretatur Auxilium Dei. 12. Oblivio  
 mundanorum, ut scilicet in agendis non habeamus respectus ad aliquid munda-  
 num, sed Dei beneplacitum, & hic est Manasses, qui interpretatur Obliviscens.  
 13. Fidelitas ad Deum: debet enim quis Deo fideliter subjici in his, quæ exigat ab  
 eo, quantumvis ad illa videatur ineptus, & hic est Amon, quod interpretatur Fi-  
 delis, & ita Virgo recepit matrimonium. 14. Desponsatio facta inter Mariam &  
 Joseph, castissima, & hoc significatur in Josia, qui interpretatur Salus Domini,  
 quia per illam desponsationem salvatus est honor Domini, & salvata fuit fama  
 Virginis, & vita, nè putaretur esse fornicaria & lapidaretur. 15. Est præparatio ad  
 Filium Dei concipiendum, quæ fuit per profundam humilitatem, quod innuitur  
 in Joachim, qui interpretatur Præparatio.

Quantum ad tertium principale, notantur quatuordecim perfectiones  
 gratiæ, quibus B. Maria subvenit hominibus in diversis statibus constitutis, est enim  
 quadruplex status hominum. Primus est Religiosorum, quibus sunt tres gratiæ  
 necessariæ ad salutem eorum, & ad eas habendas & conservandas B. Maria suis  
 exemplis, meritis ac precibus juvat. 1. Voluntaria Paupertas, hoc significatur per  
 Jechoniam, qui interpretatur Præparatio, quia paupertas præparat hominem ad per-

perfectionem. 2. Castitas quæ figuratur in Salathiel, hic interpretatur, Petitiō mea, hoc enim petit Deus à Religiosis, ut sint casti. 3. Regularis disciplina, per quam coercetur sensualitas, per jejunia, vigiliis, silentia &c. & hæc est Zorobabel, quod interpretatur Magister confusionis, quia disciplina corrigit ea quæ confusione digna, undè multis Religiosis Maria apparuit eos in Religione cōfortans. Secundus status est Prælatorum, ad quorum debitum officium pertinent quatuor status gratiarum. 1. Paterna sollicitudo erga subditos, & hic dicitur Abiud, quod interpretatur Pater meus iste. 2. Doctrina excitans pigros ad operandum, & hæc est Eliahim; per doctrinam enim resuscitantur mortui peccatores ad vitam gratiæ, & evigilant ad operandum. 3. Scientia consulens imperitis, hic est Azor, qui interpretatur, Videns lumen. 4. Sanctitas vitæ, hic est Sadoch, qui interpretatur Iustus. Tertius status est activorum, ad quorum bonam actionem pertinent quatuor gratiæ, ad quas B. Maria adjuvat. 1. Demonstratio dilectionis ad proximum, quod est Achim, quod interpretatur, Frater meus. 2. Dulcis amor ad Deum, quod est Eliud, id est Deus meus. 3. Fiducia Dei in adversis, & hic est Eleazar, quod interpretatur Deus adiutor ejus, qui confidit in Deo. 4. Conservatio humilitatis in prosperis, & hic est Nathan, quod interpretatur Donum, quia nihil sibi attribuit boni, sed omnia in Deo recognoscit. Quartus status est perseverantium. Perseverantia consistit in supplantatione & superatione vitiorum: Nathan enim genuit Jacob, qui interpretatur Supplantator. Secundum est in augmentatione virtutum, & hic est Joseph, qui interpretatur Augmentum. Tertium, constantia in his quæ sunt fidei, quod significatur in hoc, quod Joseph est Vir Mariæ, in qua terminatur genealogia Domini, & interpretatur Illuminatrix, quia profert lumen veritatis cæcis, mala vitiorum pellit, polcit cunctarum nobis virtutum bona. In omni igitur statu adjuvat ad se recurrentes, & subvenit. *In iue* ergo ait *omnis gratia vitæ & veritatis*. Maria Illuminatrix, sive Stella maris. Hi sunt gradus Scalæ Jacob. Inuit hoc *August. lib. 22. contra Faustum cap. 64.* Salvatore nostrum non solum loquendo, sed nascendo Magistrum extitisse, id ille in diverso quidem argumento, sed multum ad nostrum propositum. *Venantius Fortunatus lib. 8. Poëmatum.* Nomen honoratum Benedicta Maria per ævum, ad laudem artificis nobilis artis opus. *Beda hom. in Annunt. B. Virg.* Beata Dei Genitrix meritis proprijs, etiam nomine testimonium reddidit. Interpretatur enim Stella maris, & ipsa quasi Sidus eximium inter fluctus sæculi labentis, gratiæ privilegij specialis refulsit. *Bonavent. in spes. lect. 3.* Maria dicitur Mare propter affluentiam, & copiam gratiarum: undè scriptum est in Ecclesiaste. *1.v.7. Omnia flumina intrant in mare,*



in mare, flumina sunt charismata Spiritus S. Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam. Flumen enim gratiae Angelorum intrat in Mariam, & flumen gratiae Patriarcharum, & Prophetarum, intrat in Mariam, & flumen gratiae Apostolorum intrat in Mariam, & flumen gratiae Confessorum intrat in Mariam, flumen gratiae Virginum intrat in Mariam. Unde ipsa optime potest dicere illud Eccles. 24. & 25. *In me omnis gratia viae, & veritatis in me omnis spes vite, & virtutis.* Bernard. *serm. 1. de Nativit.* Non unam tantum habet interpretatio actu Mariæ nomen, nullum enim nomen unum puto Virginis gloriam posse enuntiare; proinde forte non nominavit eam Angelus, volens potius venerari silentio, quod non potuit exprimi eloquio: siquidem reverentiæ iudicium est, quandoque non proprio nomine nominari.

*Quid vero de ea sentiat Christus, patet s. Brigittæ lib. 1. cap. 50.* Omnis qui invocaverit nomen Mariæ, & in illa spem habuerit, cum proposito emendandi commissa, hæc tria dabuntur illi. Contritio de peccatis, satisfactio pro eisdem, & fortitudo ad facienda bona, *s. Thom. Opusc. 8. in quo explicat salutationem Angelicam* idem ait Benedicta in mulieribus, quia sola illa maledictionem sustulit, & benedictionem portavit, & januam paradisi aperuit, & ideo convenit nomen Maria, quæ interpretatur Stella maris, quia sicut per stellam maris diriguntur navigantes ad portum, ita Christiani diriguntur per Mariam ad gloriam. *S. German. in encom. zone cap. 10.* Quomodo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem, ita etiam Sanctissimum tuum nomen, quod in ore fervorum tuorum versatur assiduum, in omni tempore, loco & modo vitæ, lætitiæ, & auxiliij, non solum est signum, sed etiam procurat, & conciliat. Addit *Anselm. lib. de excell. Virg. cap. 6.* Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Mariæ, quam invocato nomine Domini Jesu unici Filij tui, & id quidem non solum fit, quod ipsa major & potentior eo sit, nec enim ipse magnus, & potens est per eam, sed illa per ipsum. Quare ergo propitior salus in recordatione ejus, quam Filij sui sæpè percipitur? dicam quod sentio; Filius enim est ejus Dominus, & Judex omnium discernens merita singulorum, dum igitur ipse à quovis suo nomine invocatus, non statim exaudit, profectò id juste facit: invocato autem nomine Mariæ Matris, etsi merita invocantis non mereantur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. Libeat jam mysticè hoc nomen sanctum scrutari cum *Viegaz in cap. 12. Apoc. comm. 2. exeges. sect. 1. & 2.* ubi confert illud cum Dei nomine tetragrammato, quia & hoc 4. literis constat: nempe Mem, Relch,

Resch, Jod, Mem. Undè addit: Sicut Dei nomen effari non licebat, ita nec Mariæ ausus Angelus Gabriel efferre, donec ejus colloquio familiarior efficeretur. *S. Gerardus Canadensis in Pannonia Episcopus Martyr* Hungaros docuit, nè hoc nomen proferrent, sed reverenter loco ejus nomen Dominæ substituere, quòd si verò aliquis illud proferre voluisset, id flexo genu & inclinato capite proferendum. Narrat hoc *Surius 24. Sept. Carolus Bovilus lib. 6. quest. Theolog. q. 42.* advertit, nomen Maria compositum ex nominibus Abram & Sarai retrogradè sumptis, ex A bram sumptis M, A, R, ex Sarai, I, A, advertit & constare ex quinque initialibus illustriorum in scriptura fœminarum. M. Maria Soror Moylis, A. Anna mater Samuelis, R. Ruth Moabitidis, I. Judith, A. Anna Tobix senioris uxor. *Hensbergus in viridario Mariano p. 5.* ad has initiales latinas reducit. M. Mediatrix Dei, & hominum Auxiliatrix sibi devotorum, R. Reparatrix debilitum, I. Illuminatrix Prædicatorum, A. Advocatrix omnium peccatorum. Idem præstat sed aliter *Petrus Crespet. in triumpho Mariae dec. 3. serm. 2.* M. Mediatrix A. Advocata, R. Refugium peccatorum, I. Imago virtutum, A. Amor humani generis.

Sed ad graviora regrediamur. *S. German. Constantinop. orat. de zona cap. 12.* Tu nequissimi hostis contra servos tuos invasiones solâ tui nominis invocatione sanctissima repellens, tutos atq; incolumes servas. *Jdiota cædit. Parisensi anno 1519.* Dedit tibi Virgo Maria tota Super sancta Trinitas nomē, quod post nomen Superbenedicti Filij tui est super omne nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur (ut manifestè patet) cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur hujus sanctissimi nominis gratiam, gloriam, & virtutem: non enim est in ullo alio nomine post nomen Superbenedicti Filij tui tam potens adiutoriū: nec est ullum aliud nomen datum sub cœlo hominibus, post nomen dulce Jesu, ex quo tanta salus hominibus refundatur, quia supra omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duos, recreat fessos, ungit agonistas, & jugum diaboli extrudit. *Et infra.* Tantæ virtutis & excellentiæ est tuum Sanctissimum nomē Beatissima Virgo, quòd ad invocationem ipsius cœlum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, dæmones contremiscunt, & infernus conturbatur. Tanta est virtus tui Sacratissimi nominis, ò semper Benedicta Virgo Maria quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiem cordis humani, *Bonav. in spec. lect. 9.* O celeberrimi nominis Maria! quomodò nomen tuum non posset esse celebre, quæ etiam devotè nominari non potes sine nominantis utilitate, testatur tuus *Bernard.* dicens: O magna! ò piâ! ò multum laudabilis Virgo Maria!

ria! Tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recro affectus diligentium te, Tu nunquam sine dulcedine tibi Divinitus insita piz memorie portas ingrederis. *Ludolfus Saxo in vita Christi parte 1. cap. 5. ex Bernar dom. 7. in festo Annunc.* Exinavit se Mater formam ancillæ accipiens, propter quod & Deus exaltavit illam, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen post nomen Filij. Consonat illi de eodem festo *Joan. Gerson.* Domina nostra alius nomen accepit, & perfectius, quod esse possit homini post nomen Filij sui, quod in nomine suo omnia stectantur in cælo, & in terra, & in inferno. *Arnold Carnot. tract. de laud. B. Virginis.* Christus Dominus, Maria Domina, constituta est quippè super omnem creaturam, ut quicumque Jesu curuat genu, Matri quoque pronus supplicet. *Bernardus serm. 4. de Assumptione.* De gloria nominis hujus ac dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, nec inerudita potest locutio parrire: unde sicut clarissimum, fortissimumque Jesu nomen ineffabile, & nisi Divina Spiritus S. adsit gratia, quæ linguam expediat, & gubernet; efferrî ab homine non potest, dicente Apost. 1. Cor. 12. *Nemo dicere potest Dominus Jesus, nisi in Spiritu* sic quoque nisi Divini facinoris aurâ adspirante, non valeas Sacrum Mariæ nomen enuntiare: quia, ut præter supra adductos *Fulbertus serm. de Nativit.* non intuitò, aut solo Parentum placito, sicut plerique, sed Divinâ dispensatione Virgo nomen accepit, *Bonav. in Psalt.* Gloriosum & admirabile est nomen tuum Mariæ, qui illud retinent non expavescent in hora mortis.

Sed dum ad finem hujus considerationis accedimus, nominis Mariæ explicationes quas sparsim dedimus, veluti in compendio, & quodam indice oculis subjiciamus, in quo nobis prævit *Pater Hadrianus Lyraus in Trysagio Marianæ, in illius affert interpretationes, à modulat.* 1. *Primam ex S. Ambros. lib. de instr. Virg. cap. 5.* Speciale Mariæ hoc nomen invenit, quod significat Deus ex genere meo. Pro quo *Theotianus dial. adv. Armenos,* oportebat qui Mariam honorare etiam ante conceptum voluit, à præcipua dignitate illam nominare. *Secundam expositionem ex S. Hieron. lib. de nomin. Hebr.* Domina maris. *Tertiam:* Illuminata illuminans, Illuminatrix, Lumen Dei, desumpta hæc ex *S. Ephrem de laud. Virg. S. Epiph. serm. de laud. Virg. B. S. Damasc. Chrysol. &c.* *Quartam:* Doctrix populi, Magistra, est et *Jdiota contempl. B. V. cap. 5.* *Quintam:* Exaltata, Eminens, Sublimis, Excelsa. *Sextam:* Stella maris, sive Gutta maris, est *S. Jrenai, Hieron.* *Septimam:* Dei Imitatrix, est *Rusilij Benzonij lib. 2. supra Magnificat cap. 22.* *Octavam:* Pluvia maris temporant,

est *Canisj lib. 1. cap. 1. Nonam*: Amarum Mare: ista est *philonis de Hebr. nomin. & Damasc. lib. 4. cap. 15.* ubi ait: Martyres à glorioso passim triumpho nominantur, & Maria à futuro dolore capit nomenclationem, dum Mare amarum interpretatur. *Decimam*: Smyrnam Aeolicè, sive Myrrham maris, est *S. Ambr. serm. 16. in Psalm. 118. S. Hieron. de nomin. Hebr. Myrrham mare habet, scilicet gemm. m.* ex qua vala myrrhina. *Undecimam*: Iaculatrix maris, *Duodecimam*: Spes maris, est *S. Epiph. Decimam-tertiam*: Stella maris, est *S. Hieron. cap. 1. Eucherij lib. 2. instit. Isid. Hispal. lib. 7. Ethymol. Bedæ lib. 5. in Lucam cap. 3. Bernard: hom. 2. super Missus.* Sed audiamus tandem ipsam Virginem apud *S. Brigitt. lib. 1. cap. 9. Rev.* Filius meus quantum etiam honoraverit nomen meum, audi nomen meum Maria, sicut legitur in Evangelio hoc nomen cum Angeli audiunt, gaudent in conscientia sua, & regratiantur Deo, qui per me & mecum talem gratiam fecit. *Jdiot. cap. 5.* Non est in ullo alio nomine; post nomen superbenedicti Filij tui tam potens adiutorium, quia super omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat caecos. *S. Method. orat. de Hypapante.* Tuum Dei Genitrix nomen Divinis benedictionibus, & gratijs omni ex parte refertum. *Abbas Franco tom. 6. de gratia.* Neq; post illud singulare dilecti Filij sui nomen, quod est super omne nomen, aliud nomen coelum, & terra nominat, undè tantum gratiæ, tantum spei, tantum suavitatis, tantum piæ mentes consolationis concipiunt. *Simon de Cassia. lib. 2. cap. 1.* Nomen Virginis Maria quod sibi congruit, & mysterio: decebat enim ut ex proprio nomine tanto mysterio aptaretur, etenim Filius nomen habuit competens actionibus ejus, sic & Matrem habere voluit talem, ut intrinsecè nomen, & gesta in unum conceptum concurrerent, in unum conflata, unum ens virtutis immaculatum efficerent, unum vas ederetur, in quo reponerentur Divina mysteria. *S. Epiph. orat. de laud. Virg.* Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam Spem, peperit enim Dominum qui est Spes totius mundi, nempe Christum. Rursum illud nomen Mariæ interpretatur Myrrha maris, myrrham verò dicit aliquis, quod ego etiam ajo de immortalitate, eò quod paritura esset Gemmam immortalitatem in mari; hoc est in mundo: mare autem dicit universum mundum, cui Virgo serenitatem, & tranquillitatem contulit, dum Portum peperit Christum. Rursum itaque præclaræ Puellæ Mariæ nomen interpretatur Illustrata, utpotè quæ illustrata sit à Filio Dei, & cunctos usque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit. *Method. orat. in Hypapante.* Tuum Dei Genitrix nomen Divinis benedictionibus, & gratijs omni ex parte refertum.